

119^v Acmat | per hunc uero modum Argon recuperauit dominium

/hic naratur qualiter argon habuit dominium/—

Et quando Argon uidit quod dominus erat precep[it] quod iretur uersus curiam. Et nulam moram fecerunt set arripuerunt iter causa redeundi ad curiam accidit quod acmat magnum festum agebat in curia/ & nuncius uenit ad ipsum dicens noua uobis refero non qualia uellem set pessima noueritis ergo quod barones liberauerunt Argonem & ipsum pro domino retinent & occiderunt soldanum amicum uestrum karissimum & huc uenient quam cicius poterunt causa capiendi uos & occidendi & ideo fatiatis id quod creditis uobis fore pro meliori. & sic finem suis uerbis imposuit/ & acmat habita noticia de tali inconuenienti re habuit tam magnum timorem quod nesciebat quid facere deberet. set tamquam uir probus & audax dixit quod aliquid de hoc non dicat qui respondit quod mandatis suis obediet. Et Acmat statim cum omnibus illis de quibus magis confidebat ascendit equum & iter arripuit causa eundi in babilonem ubi credebat uitam suam saluare. & nullus sciebat quo iret exceptis illis solummodo qui secum pergebant. Et cum equitasset circa septem dietas peruenit ad quemdam pasum per quem ipsum ire oportebat & per alium locum ire non poterat & ille qui passum custodiebat agnouit quod iste erat Acmat & uidit | quod ipse fugiebat dixit ergo quod ipsum capiet & hoc leuiter facere poterat. quia Acmat paucam gentem habebat. Et sicut dixit iste qui passum custodiebat ita factum est nam ipsum cepit & Acmat ei petebat mixericordiam quod ipsum ire dimiteret. & obtulit ei magnum thesaurum. Jste uero qui multum dilligebat argonem dixit quod hoc nichil ualebat Et quod de ipso non acciperet totum thesaurum de mundu quod ipsum non poneret in manus Argonis dominj sui. Jste uero qui passum custodiebat cum acmat cepisset nullam moram fecit set statim cum bona societate iter arripuit causa eundi ad curiam. & secum duxit Acmat semper custodiendo ipsum tam bene quod fugere non poterat. & tantum equitauit quod peruenit ad curiam ubi inuenit Argonem qui illuc uenerat tribus diebus elapsis & multum iratus erat. quoniam credebat quod acmat euassisset. /qualiter Argon fecit interficere Acmat patruum suum :/

Et cum iste custos passus uenisset coram ipso & secum dixisset* Acmat. tam magnum gaudium habuit quod maius habere non potuisset. dixit ergo patruo suo quod male uenerit. & quod faciet ei id quod iuris ordo exposset & precepit quod ab eius presentia [remouetur] & precepit absque sumendo consilium aliquorum quod morti traderetur. Et ille | cui fuit commissus .acmat accepit. & ipsum ad talem locum adduxit quod nunquam de ipso aliquid uisum fuit. & hoc non fuit mirum nam fecit ipsum occidi. & proicere in talem locum

* Read : duxisset (F : ot amene)